Quaestio medica cardinalitiis expedienda disputationibus, In Scholis Medicorum, die Iovis 20 martii, praestantissimo viro D. Symone Petraeo D. M. Moderatore sapientissimo.

An Nephriticis Diuretica?

Renes vel separando sero, alimenti vehiculo, sudoris et urinae authori, destinati sunt. Ita corporis universi excrementa una cum eo prompte suscipiunt. Quo fit ut non solum natura, morborum medica, post coctionem ad crisim necessariam, plerorumque morborum, etiam pulmonis, urinarum profusione iudicet: sed etiam medicus in communibus illam prudentius imitetur, et adiuvet. Alioquin difficilius in renibus materia nephritidis, vix renibus medicabilis, inducit. Hinc a quovis humore fit obstructio. Ab eodem solo calore non in cavitate solum, sed in substantia coalescente calculus, senibus magis quam pueris, viris quam mulieribus, tunc interdum haereditario instinctu, procreatur. Ab affluente nimio sanguine phlegmone succeditur. Caeteris humoribus consimiles exurgunt tumores. Ab his, vel acribus ulcus excitatur. Intemperies (quae eo periculosior quo dissimilior) vel sola singulis renum actionibus officit (qua vis ex se indolens) vel affectus illos sive comitatur.

Hinc complura oriuntur symptomata, quorum omnium causa morbus est. Nam diabetes propria renum affectio lienteriae consimilis, qua copiosior et aquosa urina cum siti inexplebili et febrium aestu protinus a potu emittitur, fit propter attractricis et retentricis facultatis laesionem a sola intemperie calida profectam. Sanguinis ex ulcere vel venae apertione, et copiosa mictio nunquam naturalis, diaeresin, anastomosin, vel diapedesin in renibus arguit. Iisdem incalescentibus, aut purulentis ardor in urina sentitur. Ab hoc stranguria interdum critica, autumno et temporum insalubrium familiaris, non citra functionis vesicae (quae tota naturalis est) laesionem excitatur. Huic adiungitur ischuria, quae in acutis ex frigore funesta, febrem, convulsionem, et hydropem accersit, licet ad crisim interdum appareat. Hanc in renibus et vesica imbecillitas, et obstructio: paralysis utramque parit. Eadem causarum [illegible] dysuria continetur.

Quoniam vero ad cuiusque morbi, solidae parti insidentis, curationem necessaria est eius diagnosis, quis et qualis renes occupet ex solis symptomatis distinguendum. Calculum designant, acutus renum dolor colico simillimus, gravitas lumborum, femoris stupor, fulvae arenulae, quae alias non raro indicant. Phlegmonem adesse testantur non solum magnus ardor, sed febris inflammationum comes: gravis dolor, sed pulsatilis: delirium, cum visu hebetiore, extremorum frigus, in acutis malis: crebra vomitio quae sincera pessima est: alvus impedita, unde flatus imbecilli caloris soboles: frequentis mictio, quae dejectionis minuit. [struck through] Hae suppurantis febris cum dolore augetur, indurescente contra in frigido tumore mitiora sunt omnia. Ulcus, siccitate pruritionem, praeter dolorem, sanguinis et puris una cum exiguis carunculis, excretione innotescit.

Horum diagnosin urina, secundae coctionis, parenchymati non vesicae tribuendae, excrementum, non parum adiuvat. Quae licet maxime serosis (cui et inflammato subiecta sunt astringentia, licet omnia frigida) variarumque affectionum capax, tamen a partibus per quas illabitur in colore, substantia et contentis immutatur. In calculo enim cruenta, tenuis, et arenosa profunditur. Incipiente phlegmone aquosa, quae purulenta vel nigra cruentis pessima. Illa [struck through] tamen interdum chronicos affectus vel crisin nondum indicat, haec iudicat. In declinatione vero (in qua nullum subsit) crassa subsidet. Foetida et purulenta ulceris soboles. Alba et tenuis vel cruditatis ita frigoris: crocea caloris nuncia. In his pinguis nunquam laudatur: turbida tamen non semper malo est. Optima vero consistenda, et sub-aurea, in qua hypostasis puri analoga, alba, levis et aequalis subsidit.

Curatio non symptomati sed morbo debetur, haec proprio contrariis pari gradu suscipitur. Nec vero parti unquam adhibetur nisi prius toti consultum sit sanguinis missione aut purgatione. Illa plethorae, haec cacochymiae dicatur. Illa non nisi exhibito eccoprotico, haec prius fluxo reddito corpore instituitur. Illa e cubito vel malleolo secundum vicissitudinem; haec ex leni cathartico inspicatur. In calculo vomitus et cucurbitulae, in phlegmone clysmata maxime commendantur. At quae renibus insidet materia solis diureticis non solo calore definitis evacuatur. Quae expeditius fiendis in calculo lithontribis et malacticis, in phlegmone epicrasticis, in ulcere primo rhypticis deinde sarcoticis, in diabete et sanguinis mictu stypticis admiscentur: non neglectis quae intemperiem corrigunt, dolorem leniunt, et vires roborant. Quibus adiungenda sunt externa praesidia fotus nimirum et balnea, ut facilior succedat curatio.

Ergo nephriticis diuretica.

Proponebat Bartholomaeus Perdulcis Viennensis. A. D. M·D·LXXII

F.H.P. BIBLIOTHÈQUE